

Q.N. 283.

v. Barth (X2044284)



13

HONORIBUS SUPREMIS

VIRI

P. M.

NOBILISSIMI ATQUE MAXIME  
STRENUU

CASPARIS

à BARTH,

SAGR. ROM. IMPER. EQVITIS TOR-  
NEARII ET HUIUS SECVLI

HEROIS LITERARII EMINENTISSIMI,

QVI

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

die 17. Septemb. post h. i. Mat.

PIE DEFUNCTUS

die 1. Octobris Templo Paulino ibidem & perpetue  
memorie inferendus,

Consecrabant

FAVTORES ET AMICI.



LIPSIÆ,

LITERIS QVIRINI BAUCHI,

ANNO M. DC. LIIIX.



13





**N**obile *stemma* tuam, BARTHI, decoravit honore  
Vitam, sat clarâ progenerate domo,  
Laus tamē haud placuit veniens ab origine *sola*  
Nec placuit solis ducere nomen avis;  
Lumine sed mentis *virtus* generosa sagacis  
Tollere quæsiuit Teque tuumq; genus,  
Rariùs in terris equidem *conjungitur* arti,  
Quod gratos reddit, nobile *stemma*, viros:  
Ergò Tibi *geminus* majori jure parari  
Debebat, quem gens mensq; petebat, honor.  
Sed quid honoris erit, quòd *Parca* stamina rumpant?  
Gloria nam tenuis, morte perire virum!  
Sic videatur; at est *Musarum* fama *perennis*:  
Quæ venit ex sola gloria *stirpe*, fugit!

*Immortali nomini Barthiano  
posuit*

LEONHARDUS VRSINUS, Med. D. &  
P.P. Acad. Bot. iterumque Rector,

CA



# CASP. BARTHII, CARMEN

AD POSTERITATEM.



*Va sera nomen posteritas meum  
Forsan per altos Diva feres dies  
Et seculo à saevo redemptum  
Postgenito memorabis orbi:  
Quis in juventute tramite pensili  
Inter ferocis cruda puertia  
Annosque quos comit virile  
Robur in emeritam senectam:  
Quis, inquam, aperto nomine te sequar,  
O diva divis edita Amantibus,  
Ardor beatus, nec pudendi  
Sordibus implicitus Laboris.  
A mente promptà suscipe, quæ tuis  
Favoribus, quod cuncti inbiant, procul  
Spernit relictum, nec caducos  
Spirituum generosiore  
Ambire honores tanti animo putat,  
Quàm vestra cultu numina nobili  
Per dura sectari, per alta,  
Postpositis aliis, laborum.  
Nunc annus instat bis tenero mihi  
Novenus, & vix flore tegit levi  
Vestis genarum, quæ ruborem  
Contemerare timet decorum.*

A 2

Ipsè

*Ipsē Annus iste est undecimus, Parens  
A quo beatos indigites petit,  
Me fratre cum bino relinquens,  
Ab minimum inter eos ab annis.  
Stirps nostra magnum Bavaria genus  
In alta tendit nomina, Et indidem  
Insignium servat tenorem  
Carolida reparata Quinto.  
Duplex parentis Nobilitas mei est,  
Bojo profectus semine nobili  
Hoc ante nobis sesquiseclum  
Venit avos At avus colendus.  
Huic nomen Heroi Petrus inclitum,  
Is Bavaro de limite Saxonas  
Petivit oras, atque honoris  
Alta sui dedit orsa natis.  
Hoc Gasser ortus nomine avus meo  
Cattis Salinas accoluit gravi  
Quondam Gradive destinatas,  
Quas vaser asseruit Turingus.  
Dum Misna tellus prisca vocabula  
Concoxit, Et se Lingua nitens dedit  
Hallis colendam, quam vocarunt  
Nobilium decus urbium urbem.  
Albertus illic Cardineo gravis  
Princeps cluebat pileo, Et inclytum  
Moguntium aquis cum Superbâ  
Partbenope retinebat armis.  
Huic dextra noster praesuli erat manus  
Avus, gerendo munus, ab intimis*

Voca-

Vocare cancellis petitum  
Quod Latio proceres putantur.  
Ubi arma Victor Saxone Carolus  
Hispania toti Teutonia intulit  
Ob strenuè navatam opellam  
Propatriâ, atque focis paternis,  
Amiffa quamvis nulla foret viro,  
A Cesare almo Sponte suâ venit,  
Insignibus tamen nec hilum,  
Nobilitas reparata fractis.  
Quippe inclyto cum nomine Bartbius  
Avis relictum dum gereret decus,  
Cum nomine una nolle dixit  
Arma suis posuisse Natis.  
Huic quinque stirps quæ mascula prodiva est  
Heroibus, nunc decubat integra  
In terna fratrum masculorum  
Quorum ego sum minimus, pericla.  
Tali parentis nobilis à satu  
Noster parens ne maxima nomina  
Spurcaret, in terras remotas  
Vix juvenis parat exiisse.  
Quinquennio sic terra Italum tulit,  
Et Galliarum non statio unica,  
Reversus ut grandis teneret  
Magnum opera precium laboris.  
Admotus extemplo Aulica combibit  
Pericla sanctis frangere moribus  
In Marchiâ donec Georgi  
Adplicitus lateri Joannis,  
Regale regnum, par patri honoribus,  
Quod Marchia voce incola habet NOVÆ

A 3

Rex-

Rexitque Cancellarii de  
Nomine & imperio polivit,  
Ubi repertum Falx fera messuit  
Vix flore victo, dum decies putat  
Se tertium quino addi disse,  
E stadio volat ad brabejum  
Binae sorori Triga sumus patri  
Eratrum relictis, qui studio pari  
Ad alta gressum tendere or se  
A Patruis teneri fovemur.  
Atque his supremus rite velit Pater  
Vel parva tantis pro meritis queat  
Resolvere è terno, beatus  
Qui poterit nimium, Nepote.  
Illi Relictos, plusquam onere improbo,  
Patri educarunt, quicquid in omnibus  
Olim futurum quid placere,  
Hic poterunt pietate foci.  
Et patruis de quinque modo integris  
Terni supersunt, Christianus gravi  
Adessor audit in Spirensi,  
Nomine Casares, Senatu.  
Mauritium nunc Francia detinet,  
Clarissimum Princeps equitem exciit  
Ernestus ingens rure, quo se  
Abdiderat, studio quietis.  
Nunc aula sollers magnanimum juvat  
Spreti recessus, luce volat suâ  
Pictisq; Messapus lupatis  
Quadrupedem generosus auget,  
Albertus isti proximus est, Pareus  
Vero vocandus nomine, qui fovet,  
Deducit, ornat, litterisque  
Exhibet ingenus Nepotes.  
Hac nomina omni tempore nos sacra  
Manu colentes posteritas, tamen

*Si qua es futura, & si future  
Barthiadis aliqua favebis,  
Cernes, supremum principe Carolum  
Dehinc Johannem, me tenet ultimus  
Ordo volentem nec rebellem  
Cedere nominibus colendis.*

*Si sancta cultu perpete ab unguibus  
Adulta primis quem Pietas Fovet  
Fovebit istos, meq; votum  
Egregio statuet parenti.  
Inter volantis per spatia etheris  
Illustre coeptum est hoc minimum, quod in  
Vireta Musarum venire  
Ausus ego titubante gressu  
Consulta Juris fratribus addito  
Prudentia illa est, cui meret inclyti  
Laboris hospes, mens secundo  
Orta Polo, placidisque Divis.*

---

**C**astalides lugent, dum Princeps ingeniorum  
BARTHIVS occubuit, Gratia trina gemit.  
Sed vivum ingenii sistunt monumenta relicta  
Divini, donec terra polusque ruant.

*Supremi honoris ergo apponebat*

HIERONYMUS KROMAYER, S.S. Th.  
D. & P.P. Canonicus Cizensis, Colleg. Ducal.  
Collegiatus, alum. Elect. Ephorus,

---

**Q**ui varias linguas, varias grassatus ad artes,  
Librorumque vorax helluo totus erat,  
Nobile quem Nomen, doctas quem fama per oras,  
Quem toties scriptum nobilitavit Opus,

BAR-

BARTHIUS, ingenii tandem satur atque dierum,  
In Jesu claudit lumina fessa suo,  
Ah quoties lachrymis cœlum pulfaverat ipsum;  
Janua, quam petiit, nunc reſerata patet.  
Optima nobilitas Cœlis, hæc optima pars eſt  
Noſtræ animæ, nullo pars peritura die.

ABRAHAM Teller / SS. Th. D. ad D.  
Thom. Paſtor & Conſiſtorii Aſſeſſer.

**Q**uinuper cunctum ferè ſcibile mente tenebat,  
Arctis nunc tabulis ipſe tenetur iners.  
Sed benè! quæ ſcivit ſcitu vix digna, ſupernis  
Mutavit radians mens ſociata Deo.  
Quæ nuper balbus Domino meditata ſacrabat  
Exultans loquitur nunc Facie ad faciem.  
Felix cui docto ſuprema ſcientia Chriſtus!  
Hunc modò, qui bene ſcit, ſcitur & ipſe DEO.

MARTINUS GEIER, D.  
& P. P. nec non Eccleſiaſt.

**B**arthius occubuit, quò non præſtantior alter,  
Quiq; fuit Clarii Gloria prima chori.  
Ergò qui Primas optaſti audire Sopborum,  
Hactenus, & reliquis laude præire Viris,  
Jam potes exſinuare Caput Titulosq; merere  
Tantos, nam Primas Barthius occubuit.

ſc.  
Johannes Philippi, J. V. D.  
& Com. Pal. Cæſ.



E P I T A P H I U M.

**B**ARTHIUS hic situs est, Germanæ gloria gentis  
 Tanta, in SALMASIO Gallia quantam habuit.  
 Pœne puer libros componere coepit uterque;  
 Regum hic & ille animis æquiparavit opes;  
 Ambo obiere senes; livor surrexit in ambos;  
 Invidiâ ac fato major uterque tamen.  
 Verum Salmasio noster felicior hœc est,  
 In patria tumulum quôd regione capit.  
 Imo Teutoniæ sortem hinc jactare decebit,  
 Quod tantæ sobolis Lipsana cara tenet.

*Tobias Mœbius; D.*

**N**on labor hîc, studiumque Tibi, sed grandior ætas  
 Imposuit finem, qui solus vincere, BARTHI,  
 Illa videbaris, quæ nostras frangere vires,  
 Quæ vires superare sciunt; nec pristinus ardor  
 Deficeret, nisi lege Tibi tua fata venirem,  
 Quam Natura parem sancit mortalibus unam.  
 Quod tamen hâc nostrâ retines Tibi lege solutum,  
 Laus erit, & totum notissima fama per orbem.  
 Hæc Tibi se sistit promptam victura futuras  
 Ætates, & dicta tuæ contraria laudi.  
 Felicem, qui tanta merces præconia vivus,  
 Et quem tantus honor post ultima fata coronat!

*JOHANNES ITTIGIUS, Phil. & Med.  
 D. Phys. Prof. P.*

**S**caligero sese & Barclajo Gallia jactet,  
 Lipsiade, Grotiò, terra Batava suo.

B

*Hiscæ*

*Hicce Tuos BARTHI manes Germania, certè  
Si non majores, est habitura pares.*

*estandi affectus gratia adposuit.*

*M. WOLFG. Volrath/ h. t. Fac.  
Phil. Decan.*

---

**B**ARTHIUS è vita quamvis discesserit ista:  
*Discessisse Ipsum non tamen inde puto.  
Dignum laude Virum vetat hinc discedere Musa.  
Semper, ut illius mentio fiat, erit.*

*Quis lacrymâ hunc decoret? Quis fletu funera faxit?  
Nam fuit, est, & erit vivus in ore virum.*

*M. Johann Hornschuch/ Gr. L. Prof. P.  
Fac. Philos. Subf. & Senat. ad D. Nicol.  
Pädagog. Rect.*

---

**A**ltius assurgis, BARTHI, cum mortuus Omnes  
*Dies tuos non unicâ claudis die.*

*Vivis, quando tuum condis sub pulvere corpus,  
Quod pulvis est, pulvisq; fiet proximè.*

*Hunc animum, quem terra suos excedere fines  
Semper videbat, terra non videt mori.*

*Scilicet in patriam rediit, quò vivus abire,  
In orbe liber orbe, semper visus est.*

*Quod terris voluit, potuitq; relinquere, fama est,  
Et rara nominis sui celebritas.*

*Hac, minor haud celsâ defuncti mente, superstes  
Nec sine jam, nec terminis capi potest.*

*M. Johan. Preibisius, Fac. Phil.  
Assess. & Collegii B. Mariæ V. Senior.*

*Praconium in funere Barthiano.*

**A**vdite terræ, quæ patetis, ultimæ,  
Quæ Famatanti vos recludit nominis,  
Impos teneri, vecte major & seris:  
Non quæ Palodes Thetys aut Echinadas  
Limo ambit ortas, Thamus aut terret fretum?  
Vtroque Titan quæ cubili mergitur,  
Quum purpurantem celat aut promit facem!  
Ferule mœstis pangimus carmen modis,  
Et, quo magistro blanda se Syrinx tulit  
Doctum per orbem, literasque principes,  
Exosa sylvas & minorum gentium  
Deos sequentes, vulgo amari nescia,  
Non voce vastum diditâ per aërem  
Vanoque spectri territantis murmure,  
Viso sed ipso heu! concitati funere,  
Quo majus ullum vix videbit seculum,  
Et Fati adacti lege plusquam ferrea,  
Quod omnis ætas, Orbis omnis lugeat,  
PANA ESSE MAGNUM NUNCIAMUS MORTUUM.

*faciebat*

M. FRIDERICUS RAPPOLT, Poes.  
Prof. Publ.

B 2

a E w.

J E S U S!

Caspar Barthius, sacri Romani Imperii Eques.

ἀναγρ.

Qui Promachus à Rami Scientiis, reparaberis.

☉] \* \* \* \* [☉

**A**Ulrati\* Rami Promachus qui *magnus in Orbe*  
A plurimis Scientiis:  
*Quiq; decus doctæ benè Nobilitatis ovabas,*  
*Praclarus in Virtutibus;*  
*Non moriâre, sed in letbô reparaberis ipsò,*  
*Phœnicis instar alitis,*  
*Divini ingenii fœtus, celebrandus in ævum,*  
*A Morte Nomen vindicat.*

\* De aurato ramo, quo Prudentia intelligitur, vide  
Virgil. Lib. VI. v. 138.

fundebat.

M. JOHANNES Frenkel.

---

**A**ulicus ille pius duris in rebus amicos (1. Reg. XLIX, 4)  
Veridicos DOMINI servat, victumq; ministrans  
Obtinet aeternum nomen: Pia pectora firmat.

Barthius ille meus quo demum nomine dignus?  
Nobilis, Excellens ævum, mihi & usque benignus,  
Accipit à DOMINO Cœlestis tempora vitæ;  
Cur igitur trister? Luctum teneatis Amici,

Zam:

## Zambische Uebersetzung.

**D** En ich allhie vor meinen Obadia hiele  
Ist hinn aus dieser Welt / und das mit ihm vorbei /  
So man gar selten find in Menschlichen Gebäu /  
Auch das / worinn mit mir das Glück bedenklich spielt.  
Dem aber also sey / weil es Gott so befehle  
Nach eines jeden Stand / und das ihn mancherley  
Berühr in dieser Welt / bis das er endlich frey  
Der schñoden Sterblichkeit / und keine Noth mehr fñhlt.  
Wer Christlich das bedenckt der trauret darum nicht /  
Das Gott durch Lieb und Leyd die setnen ihm verpflcht.  
Darumb so werdet Ihr wohl Adlich Euch bedencken /  
Und wie gar offte Er bath: O Jesu mach ein Ende /  
Fort / fort aus dieser Welt! In Jesu ereme Hñnde  
Er auffgab seinen Geist. Was wollen wir uns krencken?

Benefactori & Amico singulari meo, dum No-  
men voluit, deprop.

M. Gottfriedt Gernitz.

---

**Q** Vi libris vitam corruptis reddere amasti,  
Nunc vitam servant rursus inque tuam:  
Hinc celebrem terris famam post fata relinquis,  
Mi Barthl, super à sede receptus avans.

DAVID Schwertner / Philosophiæ  
Moralis Prof. Publ. Coll. Maj. PP. Colleg.

---

**I**llustris Heros, Stirpe Nobili crete,  
Germaniæ Astrum præmicans, Camoënarum  
Stupende Præstes, omnis unice assertor

B 3

Anti-

Antiquitatis, vere seculi Phœnix,  
O magne BARTHI, dulce perpetim Nomen!  
Sic ergo carnis exsolutus è vinculis,  
Triennium ultra debilisque & afflictæ,  
Post tot Labores Ingeni, atque donata  
Fastidioso, fastuoso, & ingrato  
Volumina Ævo tanta, tamque præclara,  
Mundi que rebus ultimum vale dicens,  
Desiderasti quod tot anxie votis  
Tecum locutus, artuum integer, solus,  
Suspiriisque quod tot unice optasti:  
Langvore fractus, lectulo que decumbens,  
In axe CHRISTO cum DEO tuo vivis:  
Laudum que lætus, inter Angelos junctim  
Choros que sanctos, orsa Præco Diarum  
Pertexis illic? Maeste Sorte felici!  
Beatitate maeste non lacessenda  
Ullis periculis, Casuumve tormentis!  
Tibi esse bellè quis neget beate que,  
Ubi perennis Fons scaturiens Vitæ,  
Quies que dulcis, ac vicens valetudo:  
Ubi sacratæ Trinitatis intutus  
Tuam serenat gaudio inclyto Mentem;  
Cernisque Ocello non videnda Mortali,  
Et implicaris brachiis Redemptoris,  
Amore cujus terreum omne tenuisti,  
Nullâ hostis inde vi feri revellendus?

Ac

At eruditus flebili tamen planctu  
Te luget orbis: Mœret ipse Parnasus,  
Siletque Phœbi barbitus gemiscentis,  
Novensilumque lacrymatur attratâ  
In veste turba. Quid? liquore Cyrrhæo  
Nunquam rigatus ipse, totus in fletus  
Eheu tepentes solvor, inq; ploratus;  
Lessumq; pridem quem meâ cani ardebas  
Vivus Camœnâ, mortuo Tibi præsto;  
Pro dignitate non tamen, carens arte,  
Vatemque nec vel Semitarium attingens,  
Affectu at amplo. Quippe qui velut Gnatum  
Senos per annos octies me amavisti  
Tuum Clientem, cuique debeo totum  
Quod, dona præter Numinis, mihi paret.

Ah me! Patrono quam benigno & humano  
Carebo Amico! Qualia Ora, qui vultus,  
Quando penates gratus hospes intrabam  
Illius, usque & usque blandiebantur?  
Quæ Svada fandi? Quod Scientiarum æquor?  
Quæ judicandi vis quis usus & rerum?  
Quod? Sed carebo singulis: & heu questûs  
Profundo vanos! BARTHIUS polo vivit  
PRUDENTIO adstes, agmini & Pœtarum,  
Cælestè pulsans Nablium, & Lyram tangens;  
Suoque felix gaudet intimè CHRISTO,  
Victor caduci terreum omne proculcans.

No-

Nobis reliquit Pignora Ingeni grandis,  
Libros venustos, svavitudoinis plenos,  
Pios, politos, uberesque Doctrinae,  
Et aestimandos posteris. In his vivum  
Superstitemque BARTHIIUM sibi, cordi  
Queis sancta Virtus, Elegansque Doctrina,  
Omnes colamus atque amemus, est æquum.

*Patrono, Benefactori & Amico suo, dum Fata  
Deusq; sinebant, Summo, exiguum hoc immensi  
Luclius Monumẽ, nuncio beati Ejus αὐαλὺς αὐαλὺς αὐαλὺς,  
externatus, deproperanter ponebat Cygnea*

CHRISTIANUS DAUMIUS.

**Q**ui fuit in vivis *Criticus Polyhistor*, acutus  
*Pansophus*, & clarus nobiliore satu:  
Omnes qui Chartas, tuncisq; Volumina rosa  
Legit, quæque ferè deperiẽre fitu:  
Ingenii post se qui plurima Scripta reliquit,  
Quẽis nunc nil melius Grex studiosus habet:  
Jam moritur, simul & variæ facundia Lingvæ,  
Sed non & pariter scripta polita cadunt.  
*Barthius* occumbit, placidè suâ Lumina claudens  
Id circo plangat *Pansophus* & *Criticus*.  
Extinctum siquidem *Criticorum Lumen*, *Agalma*,  
*Pansophiæq; Decus* putrida Terra tegit.

*Honorandè piè defunẽti Senis fama ergò sc.*

M. Andreas Ungibauer, SS. Th. Stud.  
Cer.



**C**ertârunt Urbes, quænam retineret Homerum,  
 Qui de dit ingenii munera pulera sui.  
 Barthius insanò congestit scripta labore,  
 Exposuit doctis abdita sensa notis,  
 Emendata dedit scriptorum plurima menda,  
 & critici calami cuncta probavit ope.  
 Hunc coluere etiam, demirabantur eundem  
 Urbes, dum terris ipse superstes erat,  
 Fortean, in vivis dum desit esse, profundæ  
 Fœnora doctrinæ, non sine lite, petent.  
 Lipsia vivum habuit, non nescia; morte peremti  
 Exuvias retinet; fama erit absque locò,

*scrib.*

M. Joh. Georg. Roth.

ΕΠΙ-ΧΕΙΡ-ΗΣΙΣ ΑΝΑΓΡΑΜΜΑΤΙΚΑ.



CASPAR	BARTHIUS.
PARCAS	ARTIBUS.

**B**arthius occubuit, Librorum Hic Helluo Magnus:  
*Qui nunquam voluit, potuit vè litare Vacuna;*

C

Sed

*Sed semper studuit, sensusq; vacavit avaris.  
Huic fatale genus, filum Vitale recidit,  
Cardiacamque manûs, Naturalemque revulsit,  
Et discontinuam formavit lineam utramque,  
Insuper ingeminans: Heus parcas artibus: id vult  
Parcarum telum, palmarem denique telam  
Carpens, et mandans fieri sibi talia Mæra!  
Dixit, & ex templô per amara hæc jussa capessens,  
Barthius occubuit, Librorum Hic Helluo magnus.*

M. JOHANNES PRÆTORIUS.

---

SISTE. GRADUM. VIATOR.  
CASPAR. BARTHIUS.  
VIR. ADMIRANDUS.  
QVEM. VIVUM.  
UNIVERSUS. ORBIS. VIX. CAPIEBAT.  
HIC. TUMULUS.  
MORTUUM.  
DETINERE. POTUIT.  
QVI.  
NOBILITATEM. GENERIS.  
QVAM.  
A. NATURA. ACCEPERAT.  
ERUDITIONE, ITA. AMPLIFICAVIT.  
UT.  
LIBERIS. NON. SOLUM. HASTAM. CLYPEUMQVE.  
SED.  
TOTI. POSTERITATI.  
ET. ORBI. UNIVERSO.  
EJUSDEM.  
DOCUMENTA. RELINQVAT.  
ET. QVI.  
ERUDITIONEM. OMNEM.  
QVAM.

QVAM.  
INAUDITO, EXEMPLO.  
INDUSTRIA. TOTAM, EXHAUSERAT.  
CONTRAXIT. ITA.  
UT.  
ILLIUS. COMPENDIUM. VIDERETUR.  
IN. QVO. PROPE. UNO.  
QVANTUM. IN. RELIQVIS. POSSET.  
NATURA.  
EXHIBUIT. EXEMPLUM.  
SED.  
MORTALITATIS. SIMUL. ET. HUMANÆ.  
INCONSTANTIÆ.  
QVAM.  
ANNORUM. LXXIII. SENEX.  
ANNO.  
ÆRÆ. CHRISTIANÆ.  
M. DC. LVIII.  
XIV. KAL. OCTOBR.  
MORTE. PLACIDA.  
ITA. SUPERARE. POTUIT.  
UT.  
SECVLUM. HOC. DIVISURUS.  
TOTAM. ILLIUS. DIMIDIAM. PARTEM.  
IN. ORBE. CLARUS.  
ALTERAM.  
IN. COELO. BEATUS.  
SED. UTRAMQ. IN. ÆTERNUM. PROTRAHENDAM.  
VIVERET.

POSTQVAM.  
SUA. OMNIBUS.  
A. QVIBUS. ACCEPERAT.  
RELIQVISSET.  
CORPUS. TERRÆ.  
COELO, ANIMAM.  
FAMAM. BONIS. OMNIBUS.

C 2

QVI.

QVI.  
MORTEM. EIUS. NON. MINUS. LUGEBUNT.  
QVAM. VITAM. ADMIRANTUR,  
ILLICET.

L. M. Q. erigebat.

M. VALENTINUS ALBERTI, Siles.  
Colleg. B. M. Virg. Collegiatus.

---

**A**ccipe supremas, genitor carissime, voces  
Et lacrymas fidi pectoris officium,  
Sed me deficient sensus, altoque dolore  
Elinguis, gemitus muta que verba traho.  
Æternum salve, quando te Fata vocarunt  
Ad superas sedes, celsaque templa Poli.  
Eriperis primo mihi vix in flore iuventæ  
O quantus subito Mî Pater hinc abiit!  
Sed salve æternum quia frustra tristia vota  
Tertio, nec quicquam proficio lacrymis.  
Deliciis animum nunc lætus pasce beatis  
Indultisque bonis perpetuo fruerè.

Ita lugebat desideratissimum Dominum  
Parentem.

Caspar Friedrich von Bahre.



Ha 1348 PK

Wom

AC

Q.K. 283.

13

HONORIBUS

V I

P.

NOBILISSIMI A

STR

CASP

à BA

SACR. ROM. IMPER

NEARII ET H

HEROIS LITERARI

IN ACADEMI

die 17. Septemb

PIE DEE

die 1. Octobris Templo P

memoria

Consec

FAUTORE

LIP

LITERIS QVI

ANNO M



HEU  
VIAN

